

Band X., Nr. 4625, Seite 310-312

*Notariatsinstrument über die Schenkung des Patronatrechts der Pfarrkirche
in Güglingen durch Rudolf von Neuffen an das Kloster zum Hl. Grab in
Speyer.*

Güglingen, 1295. März 4.

In nomine domini. Amen. Anno nativitatis eiusdem MCC nonagesimo quinto, quarto nonas Martii, celebrata missa in opido Gugelingen subnotato, indictione octava, in presentia mei notarii infrascripti et testium subscriptorum ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum nobilis vir dominus Rudolfus de Niphen et honorabilis matrona domina Elizabeth de Stralenberg eius coniux legitima tradiderunt donaverunt et se donasse ac tradidisse recognitione publica confessi sunt sponte et libere pure et simpliciter gratuito titulo propter deum donatione inter vivos facta gratuite religiosi viri fratri Johanni priori et conventui domus sancti sepulcri extra muros Spirenses et eorum successoribus ibidem degentibus in perpetuum ius patronatus ecclesie in Gugelingen Wormatiensis diocesis cum omnibus suis attinentiis iusto proprietatis titulo ad ipsos coniuges spectans ut asserebant manumque communicata seu coadunata predictum ius patronatus cum dote decimis et aliis attinentiis predictae ecclesie in Gugelingen universis in predictorum religiosorum possessionem proprietatem atque dominium transtulerunt fratre Johanne cellerario domus sancti sepulcri predictae de manu dictorum hanc donationem coniugum publice recipiente et gratuite vice et nomine sui collegii acceptante. Insuper nobilis matrona domina Elizabeth antedicta renunciavit libere publice et expresse omni iuri, quod ex donatione propter nuptias seu ratione dotis profectitiae vel adventitiae in predicto iure patronatus ac eius attinentiis prelibatis vel ex alia causa quacunque sibi vel suis heredibus competebat seu competere videbatur corporali super hac renuntiatione legitime prestito iuramento sub eiusdem iuramenti attestacione ac debito repromittens firmiter et districte se nunquam repetere bona predicta ratione dotis vel donationis propter nuptias sibi facte vel quacunque alia ratione predictam donationem aliquo modo revocare. Preter hec nobilis matrona Metthildis relicta quondam nobilis viri domini Godefridi de Niphen mater Rudolphi donatoris prefati et honesta matrona domina Maria filia ipsius Metthildis suprascripte sororque eiusdem Rudolphi coniux nobilis viri domini Ulrici de Magenheim una cum ipso Ulrico nobile de Magenheim constitute similiter in mei notarii presentia renuntiaverunt libere et expresse omni iuri, quod eis vel eorum alicui communiter vel divisim vel eorum liberis seu heredibus quibuscunque ex quacunque causa in predicto iure patronatus ecclesie in Gugelingen antedictae vel eius attinentiis quibuscunque posset

II

competere vel quocunque iure competere videretur, donatione consimili inter vivos facta omne ius, quod es vel eorum alicui in predicto iure patronatus et eius attinentiis quibuscunque competere poterat aut debebat, in eosdem religiosos libere et irrevocabiliter ac gratuite transferentes ob sepulcri dominici gloriam et honorem. Renuntiaverunt autem omnes persone prescripte in mei notarii presentia super premissa donatione alienatione ac renuntiatione ab eis facta ut premittitur gratuite exceptioni doli mali in factum actioni beneficio fori cuiuscunque omnique iuris auxilio canonici vel civilis consuetudinarii vel statuti publici vel privati cunctisque clausulis et auxiliis quibuscunque quibus contra premissam donationem iuvari possent aliqua ratione, promittentes firmiter, quod nunquam in perpetuum contra donationem prescriptam venient vel ad irritandam eam aliquammodo laborabunt in iudicio vel extra per se vel per alios directe vel in directe vel prefatos religiosos domus sancti sepulcri Spirensis in quietam possessionem iuris patronatus sepedicti aut usu libero bonorum seu proventuum quorumcunque ad dictam ecclesiam in Gugelingen de iure spectantium occulte vel publice perturbabunt seu impedient quoquo modo.

Facta est hec donatio abiuratio et renuntiatio per personas memoratas in forma superius annotata in opido Gugelingen suprascripto, anno mense die hora diei et indictione predictis, presentibus¹ religioso viro fratre Lutramo monacho in Uzzerstal Cisterciensis ordinis, Heinrico dicto Rosseheybet de Bunnankeim, Cunrado dicto Spete plebano in Gugelingen, Rudolfo plebano in Wieler, nobili viro Walthero de Wizenloch et nobili viro Ebberhardo dicto Bosse, Heinrico dicto Ostendorf, Heinrico de Lutenbach² avvocato in Gugelingen et Bertoldo dicto Schemmlinger armigeris, Bertoldo sculteto de Paffenhoven, Conrado dicto Rote et Bertoldo genero Bertoldi sculteti ac aliis pluribus fide dignis testibus ad hoc vocatis et rogatis.

Et ego Lucelmannus quondam Lufriidi apothecarii de Wormatia publicus auctoritate imperiali notarius donationi abiurationi et renuntiationi predictis interfui ut premissum est et omnia predicta scripsi ac in hanc publicam formam redegei meique nominis signo quo utor signavi rogatus, nec non inter vicesimam nonam et tricesimam lineas hoc nomen presentibus³ inserui ac manu propria prenotavi.

Nos quoque nobiles viri Rudolfus de Nyphen et Ulricus de Magenheim pro nobis et nobilibus ac honestis matronis Elizabeth et Marie nostris coniugibus prelibatis que etiam contente sunt nostris sigillis in hac parte una cum ipsis

¹Dieses Wort über der Zeile nachgetragen.

²Vielleicht Laudenbach, Laudenbach, HD.

³Vergl. Anm. a).

III

recognoscentes et publice profitentes omnia prescripta, prout enarrata sunt, esse vera et a nobis voluntarie legittime atque gratuite faeta sigilla nostra appendimus istis scriptis in testimonium omnium premissorum.

Actum anno et die prehabitis et in presentia omnium testium prescriptorum.

—

Textabdruck folgt dem Original (italienisches Perg.).

An roter bzw. grüner Seide zwei Siegel aus mit Mennig gemischtem Wachs, 1) Rudolfs von Neuffen, s. WUB, Bd. X, S. 306, Nr. 4615. 2) Ulrichs von Magenheim, s. WUB, Bd. VIII, S. 149, Nr. 2843.

Die Urkunde ist eines der ältesten Notariatsinstrumente auf deutschem Boden. Sie ist von dem Notar eigenhändig geschrieben und zeigt sein Signet in der rechten unteren Ecke, neben der Zustimmungserklärung der beiden Edlen. Vergl. über sie und ihr Verhältnis zu der folgenden Urkunde. Archivalische Zeitschrift 1 (1876) - 13 (1888), N.F. 1 (1890) - 20 (1914), 3. F. 1 (1915), 2 = 35 (1925) - 45 (1939), 46 (1950) - 76 (1980), 77 (1992) - [...] N. F. 14, 281 ff. mit Faksimile des Signets.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

HStA Stuttgart

Signatur/Titel des Originals:

A 601 U 98

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Güglingen

Ortsindex:

Altwiesloch Wohnplatz (6615)

Altwiesloch, Wiesloch, HD

Bönnigheim Wohnplatz (892)

Bönnigheim, LB

Eußerthal, SÜW

Güglingen Wohnplatz (1957)

Güglingen, HN

Laudenbach Wohnplatz (6384)

Laudenbach, HD

Magenheim Wohnplatz (1899)

Magenheim, Cleebronn, HN

Pfaffenhofen Wohnplatz (2168)

Pfaffenhofen, HN

Ruine Hohenneuffen Wohnplatz (408)

Ruine Hohenneuffen, Neuffen, ES

Schriesheim HD

Schriesheim Gemeinde (6509)

Speyer, SP

Weiler an der Zaber Wohnplatz (2171)

Weiler an der Zaber, Pfaffenhofen, HN

Worms, WO